



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermanni Conringii De Pace Civili Inter Imperii Ordines  
Religione Dissidentes Perpetuo Conservanda Libri Duo**

**Conring, Hermann**

**Francofurti ; Lipsiae ; Wittebergae, 1680**

Ad II. Deus mala permittit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9585**

manis. Quod si imitarentur, non magis quam illi periclitarentur de jactura gratiæ & pacis humanæ: neque minus quam illi gratiam Dei & Pacem conscientiæ in tuto collocarent.

SECTIO V.

Argumenta initiò allata diluuntur.

Ad I.

*Non est ex se illicitum.*

**R**esp. esse ex se illicitam Pacem, qualem desiderant Protestantes, satis demonstratum est ex cooperatione tum directâ, tum indirectâ cum hæresi, ex injuriâ Creatoris & veræ Religionis; ex violatione Officii & usurpatione potestatis non competentis, ex comparatione cum mendacio & denique sensu ac exemplo Pontificum, SS. PP. veterisque Ecclesiæ. Quàm ergo illicitum est in necessitate fidem negare, blasphemare, pejerare, adulterari, tam illicitum est cujusvis necessitatis aut periculi obtentu talem Pacem confirmare aut extendere. Regula Juris in oppositum inducta procedit de illis, quæ jure positivo aut humano, non naturali & divino, sive secundum se prohibita sunt, ut exemplum Sabbati & jejunii ostendit.

Ad II.

*Deus mala permittit.*

**R**esp. Regiminis Divini exemplum suffragari permissioni primi & secundi generis, non tertii. Nam etsi Deus peccata dissimulat ad tempus, & subinde impedit, ne contra sapientiæ suæ ordinem mala & mali intempestivè tollantur, peccatis tamen nequaquam cooperatur. Neque enim ulli concedit impunitatem perpetuam, aut secluso fine majoris boni; neque libertatem peccandi legibus firmat, aut ad peccandum provocat, vel impellit, neque vitia virtutibus æquat, vel eodem loco habet, nec quicquam cum peccantibus paciscitur, nihil præterea contra officium supremi Domini & Moderatoris opti-  
mi



mi maximi committit, cum peccandi libertatem naturæ rationali, quam liberam fecit, relinquit; ad bonum præmiis provocans, à malo suppliciiis absterrens, & nullâ in re potestatem incompetentem usurpans, qui quæcunque voluit, fecit in cælo & in terrâ. *His conditionibus si Cesar & Status permittant hæresin, quam tollere non possunt, Divina gubernationis exemplo rectè se defendunt.* Ex duobus enim malis minus eligendum esse, cum absque eligentis peccato fieri potest, & præstare aliquid quàm omnia perdere, nemo sanæ & bonæ mentis vel ambigit, vel negat. Si verò *minoris mali electio fieri nequeat, nisi cooperando peccatis, usurpando jus non suum, violando officium, aut aliter peccando, lucrum mundicum detrimento animæ non quærat, & perdamus omnia, ut seruemus Dei gratiam.* Ita faciendum esse nisi credimus, Christiani non sumus; & cum aliter facimus, Christianè non vivimus.

## Ad III.

*Zizania non evellenda.*

Resp. I. Paterfamilias non prohibet absolutè ne eradicentur zizania, sed ne id fiat *cum periculo tritici*, id enim significat particula *forè*. Periculo isto cessante, & alio urgente, ne zizania triticum lædant, non est expectanda messis, sed maturè oportet evellere, teste S. Aug. l. 3. contra Parmenian. c. 2. & S. Th. 2. 2. q. 10. a 8. ad 1. Neque hujus rei *judicium pertinet ad Principes, qui etiam ipsi sunt serui, sed ad Patrem familias*, qui in terris non est alius, quàm Christi Vicarius sive Pontifex Romanus, ut notat Moldonatus in hunc locum Matthæi.

Resp. II. Urgente licet periculo tritici, non aliam zizaniorum permissionem à Patrefamilias injungi, quàm *primi & secundi generis*, quæ ad poenā conniveat, & intempestivè impedi- entes coërceat, non *terti generis qua cooperetur*. Id verba aperte significant: *finite utraque crescere usque ad messem*. Non autem: spondete zizaniis absolutam impunitatem, vel publici juris autoritate ea in agros recipite, vel facite potestatem tri-  
- 3
ticum